

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Blaspemia Deum habens pro obiecto, semper est peccatum mortale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

mortalissimum, nisi propter imperfectionem actus, ut  
si quis ambulet manibus & pedibus. Bestialitas enim  
haec venialis est, turpisima tamen, nisi ioci gratia fiat.

*Blasphemia Deum habens pro obiecto,  
semper est peccatum mortale.*

**B**lasphemia peccatum mortale grauissimum est:  
quia est contra Deum. Et consistit in dicendo ali-  
quid, quod Deo non conuenit: puta Deum esse iniu-  
stum. Vel negando aliquid quod Deo conuenit: puta  
Deum non curare de nostris, vel tribuēdo quod Deo  
soli conuenit creaturæ: puta quod diabolus est omni-  
potens: aut quod fatum regit omnia. Vel Deo aut  
sanctis iniuriam irrogando, puta maledictus sit, &c.  
Et ad hunc modum reducitur blasphemia irrogan-  
tium iniuriam Deo aut sanctis, dum indignati resonā-  
membra eorum pudenda: siue quæ habent, siue quæ  
non habent. Et scias, quod licet blasphemia multos  
habeat gradus (dum grauior est contra Deum, quam  
contra beatam Virginem: & haec grauior quam con-  
tra sanctos: & rursus grauior est quæ ex affectu  
detestatio Dei aut sanctorum, quam quæ ex passio-  
ne extranea aut mala consuetudine: quasi non sit vi-  
rilis animi, qui loquitur sine blasphemia, ut videtur  
apud multos inoleuisse) omnes tamen sunt eiusdem  
speciei. Nec vñquam excusat quis à mortali, si sit  
mentis compos, nisi inaduententia esset in causa:  
hoc est si ex lapsu linguae protulit verbum blasphem-  
um, non aduentendo sensum verborum: ira quod  
si aduentisset, certus est quod non dixisset, tunc eni-  
m fuit blasphemia non formaliter, sed materialiter  
tantum. Scito quoque, quod dicere ad sanguinem  
Dei vel ad Dei: siue inuocando per modum iniurian-  
tis: siue resonando in rixa aut turbatione contra ali-  
quem, non est blasphemia: quoniam postquam ver-  
bum

hum caro factum est , Deus habet & corpus & sanguinem . & non dicitur per modū iniuriantis , quamvis irreuerenter , quum secundo modo dicitur . Et propterea peccatum est graue , non tamen mortale : quia non contra , sed præter Deum est , & tanto grauus , quanto frequentius .

*Criminis falsa impositio semper est  
peccatum mortale.*

**C**Alumnia ( hoc est falsa , & malitiosa impositio criminis ) peccatum est in proximum : quod non sola poenitentia absolvitur , sed oportet satisfacere offenso proximo . Si autem ex errore imponit quis falsè alicuius crimen : calumniae quidē vitium formaliter non incurrit , sed materialiter : & tenetur tam ad poenitentiam peccati , quam ad satisfaciendum offenso & læso : quoniam in culpa fuit errādo . Non enim debebas assertiūe proferre id , in quo errasse se postea cōperitis & iste cautus præcepsq; fuit assērēdo illud quod non constat esse verum , in præiudiciū præsertim proximi .

**Cambium quadrupliciter considerandum.**

**C**ambiorum genera sunt quatuor . Quædam vera & realia , quibus moneta in uno loco ac tempore recipitur , & alio loco ac tempore redditur , prout in loco redditionis tempore restitutionis marca auri valet . Et in his nullum est peccatum cessante omnī dolo & fraude . Verūtamen quum hæc ad prolixius tempus fiunt aut protrahuntur , ut ex distantiori tempore plus lucri habeatur , ad usuram declinant , quia cum temporis quo pecunia occupata tenetur , ratio habetur : ad eum usuræ modum digreditur quo tempus vendi dicitur . Quædam verò sunt non vera sed palliata , & solo nomine cambia : quibus indigens Romæ pecunia , accipit pecuniam restituendam nō Lugduni sed Romæ iuxta valorem cambiorum Lugduni in sequenti